
C. J. Lodberg

Exercitatio

in duos primos versus Genes.


Hafn. 1658.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

1,-66.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 00792 1

+ REX

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

EXERCITATIO

PHILOSOPHICO-PHILOLOGICA

In

Duos primos verſus

GENESEOS,

Qvam

A. D. O. M.

Conſenſu Ampliſſimorum in Regia Academia Hafnienſi Profeſſorum,

Præſide

M. CHRISTIANO JANI

L[illegible]ERGIO (Lodbergio)

publicæ disqviſitioni ſubjicit

CASPARUS AHNEMULLERUS.

Habebitur in Auditorio inferiori ad diem 16 Januarij horis antemeridianis.

HAFNIÆ,
Literis PETRI MORSINGI, Reg. & Acad. Typ.
ANNO 1658.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

VIRIS

Admodum Venerando, Excellentiſſimis & Præclariſſimis

Dn. JOHANNI SUANINGIO
S.S. Theologiæ Doctori & in inclyta Hafnienſium Academia Decano, Selandiæ Epiſcopo Religioſiſſimo,

M. PETRO SPORMAND
Ibidem Hiſtoriarum & Geographiæ Profeſſori celeberrimo,

M. GEORGIO HILARIO
Rectori Scholæ Hafnienſis & in Academia Profeſſori pereximio,

M. HENRICO HOLST
ex Vitrico fratri,

Mæcenatibus, Præceptoribus ac Promotoribus ſuis
Haſce ſtudiorum ſuorum primitias
ſubmiſſè offert

CASPARUS AHNEMULLERUS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

1.

PRoductum eſſe aliqvid ex nihilo, etiam ipſa ratio ac natura dictitant. Etenim perpetuus rerum ortus, qvem natura intuentibus exhibet, ſanæ rationi ſuggerit, eſſe aliqvid primùm productum. In cauſis enim finitis progreſſus in infinitum dari neqvit. Cùm autem finita omnia producta eſſe oporteat (eſſentia enim finita durationem à principio interminabilem non admittit), ex infinito autem factum eſſe finitum abſonum ſit, qvod primùm productum eſt, id ex nihilo eſſe neceſſe eſt.

2. Sed inter Ens & Non-Ens cùm ſit diſtantia infinita, non potuit ea ab alia qvàm infinita potentia expleri. Qualis enim eſt res, talis etiam eſt operandi vis, adeoq; & ipſa operatio. At infinita plura dari ſimpliciter eſt impoſſibile. Igitur non niſi unus eſſe potuit Creator, à qvo omnia ſint neceſſe eſt, ipſe autem à ſeipſo, non qvidem poſitivè ſed negativè. Atq; hic qvanqvam nec ſenſu nec ratione comprehendi poteſt, cognoſcitur tamen utcunq;, idq; tribus potiſſimum modis: ratione Virtualis continentiæ, Actualis efficientiæ, Finalis concupiſcentiæ. Conf. Scharf. Theor. Tranſcend. Diſp. 13.

3. Porrò quicquid in creatura perfectionis eſt, id in Creatore qvoq; eſſe convenit; ſed, ut eſt finiti ad infinitum nulla proportio, longè eminentiùs. Qui autem ſolus omnia poſſidet, is nullius rei indigus eſt. Cumq; ſimul nihil valentius agnoſcat, cogi non potuit ut crearet. Aberat igitur à Creante neceſſitas omnis tam interna qvàm externa, ſolaq; libera voluntate motus tantum opus eſt aggreſſus. Neq; tamen mutatio ulla vel compoſitio reſpectu Creatoris accidit. Abeſt enim ab hac actione motus. imò reſpectu Dei nihil aliud eſt, quàm ipſa eſſentia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

Divina cum relatione ad Creaturam, non qvidem reali à parte Dei, ſed tantùm rationis, & qvidem ad extra. Talis autem nullam vel compoſitionem vel mutationem inferre poteſt.

4. Quo verò & qvanto tempore peracta ſit iſthæc admiranda & naturam ſupergreſſa actio, qvoq; medio ac modo progreſſus ſit Creator; item fueritne perſona unus an trinus, id verò noviſſe ſine Divina revelatione nemo poterit. Hinc Apoſtolus, *Fide*, inqvit, *intelligimus* κατ-ηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ. Hæc verò per Moſen fidiſſimum Divinæ voluntatis interpretem ſcripto Θεοπνεύστῳ prodita habet Eccleſia Gen. cap. 1. & 2. Ex qvibus primi capitis initium præſenti exercitatione maxima ex parte Philologicâ expendere decrevimus. Ita autem habet Textus:

בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ : וְהָאָרֶץ הָיְתָה תֹהוּ וָבֹהוּ וְחֹשֶׁךְ עַל־פְּנֵי תְהוֹם וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל־פְּנֵי הַמָּיִם׃

בְּרֵאשִׁית, LXX. ἐν ἀρχῇ. Vulg. *In principio*] (1) בְּ præpoſitio inſeparabilis, regulariter indurata & præfixa, juxta Maſoram figuram habet majuſculam. Id verò, qvanqvam initialis integræ ſententiæ litera eſt, tamen præter morem hujus lingvæ accidit. Amat enim ubiq; literas eadem magnitudine ſcriptas. Quoties itaq; in textu Biblico contra fieri videtur, myſticum aliqvod ſubeſſe conjiciunt Recutiti. Sic h. l. literam ex monadicis binariam inſvetâ figuræ magnitudine gemini operis creati ſublimitatem ſignificare volunt. Exſtat in ſcriptura hujus generis literarum integrum Alphabetum à Maſorethis diligentiſſimè notatum. Nonnullæ literæ bis, aliqva etiam ter ejuſmodi figurâ occurrunt. *Vid. Buxt. comment. Maſor. cap.* 14. Quæ diverſitas qvanqvam antiqva qvidem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

dem eſt, & à Maſorethis obſervata, non primùm introducta, ab ipſis tamen Authoribus librorum tradita eſſe non videtur. Sive verò per oſcitantiam irrepſit, ſive certo Doctorum conſilio, cujus ratio hodiè latet, eſt inuenta, ſalvâ textus ſacri authentiâ in multis exemplaribus paſſim negligitur. Qværunt hic curioſi Hebræi, cur lex à ב potius qvàm ab א incipiat. Reſpondent, fieri id boni ominis cauſa, qvia ב eſt litera benedictionis, א maledictionis. Nam ברך ſignificat benedicere, ארר maledicere. Certè lex per ſe poſita potiùs benedictioni qvàm maledictioni eſt: ſed dum infirmatur in carne, hanc potiùs qvàm illam operatur.

(2.) רֵאשִׁית formæ שְׁאֵרִית, conſonâ א vocalem ſuam ad præcedentem ſchevatam, qvod apud Syros perpetuum eſt, rejiciente. *Vid. Mart. Troſt. Gramm. l. 1. c. 1. m. 18.* Significat autem formaliter primitatem qvandam (ex origine ראש), qvæ deinde pro ratione diverſæ materiæ limitatur. Sic Deut. XVIII. 4. רֵאשִׁית דְּגָנְךָ primitiæ frumenti tui. Juxta R. Sal. ubiq; in ſcriptura conſtructum legitur, unde hoc loco præter neceſſitatem omnem elicit conſtructionem, cujus exempla pauciſſima extant. *Vid. Chriſt. Cartwrigt. in h. l.* Nec poteſt textus talem admittere conſtructionem. Nam & ſeqvitur accentus maximæ diſtinctionis Silluk, & verbum ברא in præterito non in infinitivo poſitum eſt, & verſus ſeqvens à ו copulativo incipit. Sunt qvi principium hic exponunt Dei genitam ſapientiam, juxta illud Prov. VIII. 22. Sed duriuſculè. Certè Targum Hieroſolym. habet בחוכמה.

3. Vox בְּרֵאשִׁית nomen dedit & primo libro Moſis & primæ ſectioni legis. Triplex enim eſt omninò ratio denominandi ſcripturæ libros. Quidam enim nomina acceperunt vel ab initiali voce una aut duabus, vel à pri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

ma dictione ratione materiæ maximè emphatica : alii ab Authoribus : alii deniq; à materia, de qva agitur. Secta eſt præterea תּוֹרָה ſeu Pentateuchus in 54 פָּרָשׁוֹת ſeu סְדָרִים, hoc eſt, ſectiones majores. Hæ tribus פפפ vel ססס notantur, præter ultimam Geneſeos: in nonnullis exemplaribus integris vocibus פרשה & סדר, qvarum initiales literæ ſunt פ & ס, qvæ ſolitariæ ſectiones indigitant minores, præterqvam qvæ jam dicta eſt, triplicatæ majores. Licet alii ſolitarias פ & ס deſumant è vocibus פתוחה & סתומה (vel סמוכה), qvòd illa dictionibus ejusdem lineæ claudatur, hæc ſpatium novæ lineæ perpetuò aperiat. Cœterùm hoc non obſtante ſectiones minores indicant, cum adjectiva hæc ſubintelligant פרשה. Hæ qvanqvam סמוכות ſeu ſuperioribus conjunctæ ſunt, ſententiam tamen qvin contineant abſolutam, vix dubitare licet. Sed neq; hæc diviſio ab ipſo authore τȣ̃ Πεντατεύχȣ originem ſumpſiſſe videtur, qvanqvam antiqva qvidem eſt; verùm à Poſteris, &, qvod veriſimillimum eſt, à Viris Synagogæ Magnæ introducta. Fecerunt autem 54 ideo, ut in ſingulos annos haberent lectiones Sabbathinas. Reſpexerunt autem maximè ad annos intercalares, qvanqvam & vulgaribus annis univerſas abſolvunt, dum binas breviſſimas bis conjungunt. Atq; ex his lectionibus ipſis Sabbathis adeoq; & Hebdomadibus indiderunt nomina, qvemadmodum in Eccleſia Chriſtiana Dominicas nonnullas ab officiali qvodam cantico appellare conſvevimus. Solent etiam adjungere lectiones Propheticas, cujus rei cauſam vide apnd Buxtorf. in Synagoga. Denominantur autem hæ ſectiones Legales ſicut libri à prima voce, vel à prima maximè emphatica: & citantur perpetuo à Maſora loco capitum. Unde dubitare licet de antiqvitate diſtinctionis in capita. Quid? qvòd

anti-

antiqviſſimi Patrum ſcripturam citant non per capita, ſed allegando per particulares hiſtorias. Nec minor heic cauſa præberi videtur dubitandi de diviſione Pentateuchi in 5 libros; qvanqvam hanc qvidem multò ante Maſorethas à LXX interpretibus inventam eſſe veriſimillimum eſt. Conf. Joh. Leusd. Philologi Hebr. Diſp. 4. & 5.

בָּרָא. LXX. ἐποίησεν, Vulg. *creavit*] (1) Verbum qviescens lit. א, unde tertia radicalis pro - ante ſe vocalem appropriatam qvieti poſtulat. Tria ſunt verba, qvibus opificium creationis diverſo tamen reſpectu exprimitur, ברא יצר עשה. Ex his juxta Hebræorum Doctores ברא ſignificat aliqvid â non eſſe ad eſſe producere, יצר enti creato formam ſeu figuram inducere, עשה abſolvere & ad certum uſum aptare. Atq; hæc tria conjunguntur Eſ. XLIII. 7. בראתיו יצרתיו אף עשיתיו. Nempe qvia univerſa Creatura â Creatore in eſſe, exiſtere & operari dependet. Conf. Act. 17. 28. Ex his primo reſpondet Græcorum κτίζειν, ſecundo πλάσσειν, tertio ποιεῖν: id qvod tamen LXX non ſecuti ſunt, ſed ubiq; ברא verterunt ἐποίησεν. forſan qvia dicta verba omnia de opere creationis adhibentur. Cæterum vox ברא, qvod obſervatum eſt, in Scriptura ſoli Deo tribuitur, qvòd ejus tantummodo ſit ê nihilo aliqvid producere. Qvidam hinc piè magis qvam certò in hac voce trilitera SS. Trinitatis myſterium qvæſiverunt, dum tribus literis א.ב.ר tres perſonas Divinas אב.בן.רוח notari exiſtimarunt.

(2) Nec tamen hoc verbum ſemper ſignificat immediatam integræ rei ex nihilo productionem. Nam ut hic ברא Deus ex nihilo Chaos, ita infra v. 21 dicitur ex aqva creaſſe התנינים הגדלים. Eſt verò & hæc propriè dicta creatio, qvamqvam omnes rei partes immediatè ex nihilo non ſunt productæ. Nam & forma, qvæ dat eſſe rei, ex nihilo hic facta eſt, & materia potentiâ proximâ inha-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

inhabilis fuit, adeoq; inſtar nihili; tota etiam ex nihilo immediatè producta. Hinc diſtingvunt inter creationem immediatam & mediatam, ſeu primam & ſecundam. Aliàs etiam impropriè ſignificat opus qvodvis novum, eximium & ſtupendum, ut Num. XVI, 30. ואם בְּרִיאָה יברא אֱלֹהִים. LXX ὁ Θεὸς Vulg. *Deus*] (1) vox לְשׁוֹן רַבִּים, cujus ſingulare eſt אֱלוֹהַּ, Ab. Ezr., nempe propriæ vocali τῷ ה cedente-furtivo, in qvod expreſſum eſt Scheva intellectum ſub ה finali mobili, ſ. mappiccato. De hujus vocis origine & ſignificatione certant. Quidam deducunt ab אֵל, qvidam ab אָלָה, ſed nec ה mappicatum unqvam ſervit, nec ſimplex in mappicatum tranſire ſolet. Veriſimilius eſt hanc vocem originem habere ab אָלַהּ qvod qvidem in ſcriptura non exſtat, Hebræum tamen olim fuiſſe videtur, & hodiè apud Arabes ajunt ſignificare, Adoravit. Sic nec de ſignificatione conveniunt. Quibusdam eſt nomen judicii & imperii rigoroſi, unde Onkelos ſæpe vertit דַּיָּן. Quò referunt illud *Deut*. 1. 17. כי המשפט אלהים. Aliis autem eſt nomen potentiæ. Hinc dictitant *Cap*. 1. *Geneſ*. ubi præcipuè deſcribitur opus creationis, qvod verè eſt opus potentiæ, ſolum nomen אלהים adhiberi, non יהוה, qvod ajunt eſſe nomen gratiæ & clementiæ. Alii deniq; negant hoc nomen inferre conceptum certæ proprietatis Divinæ in particulari, ſed involvere omnes proprietates & perfectiones, ſicut Græci ſuum Θεὸς & Latini τὸ Deus uſurpare ſolent. Et hæc ſententia optimè convenit cum etymologia ſuperiùs poſita, cùm Numen propter ſe totum ſit adorandum.

(2) Eſt igitur nomen Dei proprium, ſed perfectiſſimo modo ſumptum. Verùm hoc non obſtante appellativum ſæpe eſſe videtur, præſertim cùm ſuffixa recipit, ut *Pſal*. 45. 8. Tribuitur etiam aliis, qvemadmodum multa nomi-

na

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

na Divina, præſertim qvæ attributa ſignificant, etiam creaturis applicantur. Dicuntur enim præterea אלהים (α) Magiſtratus & Judices *Pſal. LXXXII. 6.* (β) Angeli *Pſal. VIII. 6. Conf. Hebr. II. 7.* & *Pſal. LXXXXVII. 7. Conf. Hebr. 1. 6.* (γ) Idola *Exod. XXII. 2.* & *XXXII. 31.* Cœterum tenendum h. l. eſt *primùm*, tribui hoc nomen Deo primariò, creaturis ſecundariò, imò Idolis planè æqvivocè: *dein*, agendum eſſe ſedulò, ut ſicut nomina, quæ à creaturis ad Divina transferuntur, prius liberantur ab omni imperfectione: ſic contrà cum nomina Dei tribuantur creaturis, implicent imperfectionem. Utrumq; tum optimè perficitur, cum termini τὸ formale inveſtigatur.

(3) Conſtructio nominativi pluralis cum verbo ſingulari hoc loco myſtica eſſe videtur multis, inferreq; perſonarum in una eſſentia pluralitatem. Alii autem honoris cauſâ ita uſurpari nomina Dominii cenſent, cujus rei exempla adferunt multa. Quid? qvod eâdem formâ dicitur de Idolis, item de una ſola perſona Divinitatis. Adde, qvod nulla neceſſitas cogat tam dubium aſſumere tam arduæ aſſertionis fundamentum, cum Theologi aliàs manifeſtiſſimis ſcripturæ dictis myſterium illud meridiana luce clariùs demonſtrent.

את השמים, LXX τὸν οὐρανὸν Vulg. *Cælum*] (1) את particula communiter poſt activa verba format accuſativum tam nominum qvàm pronominum affixorum, poſt paſſiva & interdum neutra nominativum: ſed format & alios pro natura verbi præcedentis. Nec dicti caſus per hanc tantummodo efferuntur particulam, ſed ſæpe etiam nudè exprimuntur. Cum pronominibus affixis levibus eſt אות, cum gravibus qvaſi ſemper אֵת, qvæ forma poſt Euphonicum Maccaph regularis qvidem eſt, non tamen perpetua; imò & ſine Maccaph uſitata. Valet &

 præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

præpoſitionem עִם, ſed tum rariſſimè cum affixis induit formam אות. Exponitur & aliqvando Ad, Adverſum, Ex. *Vid. Buxt. Theſ. lib. 2. cap. 12. & 20.*

(2) ה הידיעה ſeu articulare ἀναλόγως præfixum, communiter emphaticum dicitur. Non ſemper autem emphaſin addit, ſed ſæpe ex uſu lingvæ πλεονάζει. Nec cum determinat, ſemper ad individuum reſtringit, ne qvidem in comparatione individuorum ejusdem ſpeciei. Sicut nec articulus ὁ Græcorum. Vocibus per ſe determinatis, ut ſunt propria virorum & mulierum, item conſtructa & ſuffixis afformata, non ſolet ex uſu lingvæ præponi. Quid ergo dicendum eſt de התולדות ישוע Mat. 1. 1?

(3) שמים (duale tantùm) juxta Talmudicos eſt compoſitum vel ex שָׁאָה & מַיִם qvod aqvæ ibi ſtupendo modo ſint ſuſpenſæ; vel ex אֵשׁ & מַיִם, qvod ex aqva & igne conſtare Cœlos exiſtiment. Sed hæ etymologiæ paulò duriores ſunt, poſterior etiam qvoad rem falſa. Sunt qvi ex שָׁם & מַיִם deducunt, qvod, ubi Cœlum eſt, ibi duplices aqvæ diſterminentur. Sed hoc diſplicet nonnullis (ut credo, qvod abſit dagesch compenſativum) oblitis forſan, ſæpe id fieri, ut præter omnem neceſſitatem ejiciatur dagesch tam characteriſticum qvàm compenſativum. *Vid. Troſt. Gram. libr. 1. c. 9. r. 4.* Prorſus verò ſtolidè deducitur à שמם cum ם h. l. ſervile ſit non radicale. Hiſtoricè de Cœlo Beatorum vel Angelis interpretantur nonnulli, ſed non ſine injuria textus Moſaici. Alii prolepticè Cœlum & Terram exponunt totum univerſum, cujus partium creatio reliqvo capite traditur. Certè nominibus Cœli & Terræ tanqvam peripheriæ & centri ſæpè in ſcriptura deſcribitur univerſum, ſic *infra cap. 3. 1, 24. & 14. 19.* Aliqvando additur & mare, ut *Pſal. 69. 35.* Qvidam deniq; Metonymicè per Cœlum & Ter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

Terram intelligunt rudem materiam univerſi. Et hunc eſſe verum ſenſum, docent nos Præceptores noſtri Excellentiſſimi patriæ noſtræ Theologi.

(4) Hæc eſt rudis illa & indigeſta moles, de qva Gentibus etiam aliqvid innotuiſſe conſtat. Chaos dixerunt antiqvi ἀπὸ τοῦ χαίνειν. Qvæ vox Moſaico תְּהוֹם reſpondens mihi qvidem prodere videtur, unde Gentiles ſua illa de Chao habuerint. Hæc cum eſſet materia informis, actu entitativo ſubſtitiſſe neceſſe eſt. Cumq; diſcrepantiſſimas haberet partes, ſingulas ſuum actum habuiſſe oportuit. Neq; enim omnis diverſitas è formis eſt, ſed tantùm ſpecifica. Atq; hæc eſt vera materia prima omnium corporum naturalium, non illa, qvam è cerebro & ſcripto Ariſtotelis depromunt Peripatetici. Hæc enim ſanè figmentum eſſe videtur, ut non immeritò etiam graviſſimi ejus propugnatores Conimbricenſes fateantur eam ignorando cognoſci & cognoſcendo ignorari. Tutiſſimum eorum aſylum, qvod qværunt in transmutatione elementorum, deſtructum *Vide apud Joh. Sperl. Inſtit. Phyſ. l. 4. cap. 1. Q. 3.* Cœtera, qvæ pro ſua ſententia adferre ſolent, debiliora ſunt, nec iis ſolidi qvicqvam ineſt. Videntur ſibi inveniſſe, non qvod pueri in faba, qvi è productione elementorum exiſtentiam hujus materiæ primæ conantur probare, qvanqvam nihil novi adferunt, qvod non antea & prolatum eſt à Peripateticis & refutatum ab aliis. Ajunt enim, cum diſcrimina ſolùm è formis proveniant, neceſſe eſſe id, qvod reliqvum ſit, eſſe indiſtinctum, ſibi ſimile, idem & commune. Sed hypotheſis nondum eſt conceſſa. Qvid ſi etiam falſa? Probandum enim prius eſt, omne diſcrimen eſſe è formis.

(5) Hanc primo die creaviſſe dicitur Deus, & qvidẽ ante lucem. Quod ſi verum eſt, Lux ſeu lucidum illud corpus, qvod ante ſolem conditum ſolis vices gerebat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

non in ipſo oritivi horizontis angulo reſpectu paradiſi creatum eſt. unde plauſibilior fit eorum ſententia, qvi in meridiano primùm poſitum eſſe exiſtimant, præſertim cum deberet ſtatim habere eam perfectionem, qvam pro eo qvidem tempore, ſpectatis omnibus circumſtantiis, habere potuit.

וְהָאָרֶץ, LXX ἡ δὲ γῆ, Vulg. *Terra autem*] (1) ו h. l. copulativum eſt, qvanqvam per particulas adverſativas (δὲ, autem) exponitur. Sed eſt & adverſativum aliqvando *Pſal. LXXVII.* 11. *Vid. Joh. Tarnov. Exercit. Bibl. libr.* 3. *n.* 10. item relativum, ut *Pſal. V.* 12. *Amos. I.* 4. 7, 10, 12. Disjunctivum eſt *Gen. XXVI.* 11. *Exod. XXII.* 15. Tale qvoq; non ſine cauſa Magnis Viris eſſe videtur *Jud. XI.* 31. in voto Jephtæo. Unde Dux Iſraeliticus nec voto teneri videtur, ut filiam in holocauſtum offerat, & multò minùs obtuliſſe. Et certè ſi votum non niſi de ſacrificio conceptum fuiſſet, eſſetq; exſecutus Jephtha, peccatum peccato cumulaſſet. Sæpe cum verbis unà cum copulandi officio conjunctam habet vim convertendi ſignificationem futuri in ſignificationem præteriti, & vice verſâ; & tum converſivum dicitur. Nec minùs ſæpè πλεονάζει, ut in principiis narrationum. Ita multi libri V. T. ab hoc Vau incipiunt. Aliqvi pondere id non carere exiſtimant. Sunt qvi putant per hanc copulam indicari vel libros libris vel ſenſum mentalem cum vocali eſſe conjungendum. Sed curioſa eſt conjectura. Simpliciſſimè dicitur eſſe ex natura lingvæ, ſicut & idem in aliis qvoq; lingvis obtinet.

(2) יהידיעה ה etiam per literas כלב excluſum, in hac voce paſſim vertit priùs ֶ in ָ, id qvod in aliis qvibusdam ejusdem formæ tantùm propter accentum pauſantem evenit. Ajunt autem אֶרֶץ dici vel à רוץ ſimpliciter

per

per antiphraſin , vel ab אֵי ſeu אֵין & רוּץ, qvod terra ſuo pondere gravata in medio mundi pendula qvieſcat. Alii deducunt à רצץ terere, ſicut Latini ſuum Terra à terendo, qvod ab incolis ſuis teratur. Alii à רצה, qvod tanqvam mater benevola omnibus prodeſſe deſideret. Cœterùm h. l. non ſignificat terram elementarem ſive puram, ſive impuram, ſed partem primæ illius materiæ, de qva dictum eſt, id qvod facile patet ex vocibus תהו ובהו.

(3) Sunt autem tria nomina, qvibus inſigniri ſolet terra in Hebræo idiomate, videlicet אֶרֶץ, יַבָּשָׁה, תֵּבֵל. Hæc tria ita differunt: ארץ plerumq; complectitur totum globum aqvaterreum, יבשה ſiccam telluris partem, תבל verò partem habitatam, qvam Græci τὴν οἰκουμένην nominant.

הָיְתָה תֹהוּ וָבֹהוּ, LXX ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος. Vulg. *erat inanis & vacua*] (1) ה natura qvieſcens ut vocalem ſuſtineat, tranſit in ת. ſcilicet ne ſi ejiceretur planè, ut debebat, nihil relinqveretur diſcriminis inter maſculinum & fœmininum. Aliàs hæc ratio in qvieſcentibus tertiâ ה perpetuò ſervatur, ut ubi ה propriam vocalem accipiat, abjiciatur. Sed alia eſt ratio eorum, qvæ in ה mappiccatum exeunt. Illorum enim ה non eſt qvieſcens ſed mobile, adeoq; & ipſa prorſus analoga.

(2) תהו & בהו juxta R. Sal. deſcendunt ex תהה & בהה, quorum illud apud Chaldæos ſignificat ſtupere, hoc erubeſcere, ut ita תהו vi originis ſignificet rem ſtupendam, בהו rem pudendam. Juxta Ab. Eſr. בהו eſt frater τῷ תהו ideóq; ambo ſignificant. Conjunguntur in ſcriptura tribus locis, nempe præter hunc locum *Eſa.* 34. 11. *Jer.* 4. 23. qvibus locis horrendam vaſtationem ac deſolationem innuunt. Hinc forſan inductus Onkelos reddidit צדיא וריקניא deſolata & vacua, nempe à filiis homi-

num

num & omni beſtia, ut exponunt Paraphraſtæ Pſeudo-Jonathan & Hieroſolymitanus. LXX potiùs per conſeqventia reddiderunt, cum poſt vaſtationem fiant res ἀόρατοι καὶ ἀκατασκεύαστοι. Aqvila vertit κένωμα καὶ οὐδὲν. Sapienti *cap. XI.* 18. dicitur ἄμορφος ὕλη, informis materia. Sed notandum eſt, rudem illam molem in ſe non fuiſſe vel rem pudendam vel prorſus nihil, ſed ita dici in comparatione cum admirabili illa, qvæ ſeqvuta eſt elegantia & perfectione. Nec ſimpliciter omni carebat forma ſaltem externa, qvam figuram vocant, cum hæc individuè ſeqvatur qvantitatem, ſicut qvantitas materiam. Ἀκατασκεύαστον autem verè fuit, & ut reddit Symmachus ἀδιάκριτον, qvia & incondita erat & indiſcreta ſeu confuſa. Hinc Poeta:

Qvaq; erat & tellus, illic & pontus & æther.

Item —— —— —— *Corpore in uno*

Frigida pugnabant calidis, &c.

Quæ verba per ampliationem ſunt exponenda, ne abſurdus evadat Poëta. Neq; enim ulla res vel frigida erat vel calida, adeoq; nec pugna calidorum cum frigidis.

וְחֹשֶׁךְ עַל־פְּנֵי תְהוֹם LXX καὶ σκότος ἐπάνω τοῦ ἀβύσσου Vulg. *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*] חֹשֶׁךְ à חשך tenebras ſignificat, qvæ qvidem h. l. non Dæmones ſunt, nec ulla ſubſtantia tenebricoſa, multo minus elementum ignis, ſed ſola lucis negatio ſeu abſentia. Nam nec de rebus incorporeis hic agitur, nec erat adhuc elaboratum qvicqvam, ſed omnia rudia & indigeſta, nec extra chaos erat res ulla materiata, qvales omnino fuiſſent tenebræ, ſi vel ſubſtantia tenebroſa, vel ignis elementum ſaltem rude & informe fuiſſent. Docet autem expreſſe Ambroſius, qvid per tenebras ſit intelligendum: *Tolle ſolem terris, tolle Cœlis ſtellarum globos, omnia tenebris inhorreſcent. Sic erant omnia, anteqvam Dominus huic mundo lumen infunderet. Et ideo Scriptura ait, qvòd tenebræ*

erant

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

erant ſuper abyſſum. Tenebræ, inqvam, erant, qvia ſplendor lucis deerat &c. Solent autem tenebræ conſiderari Negativè, Privativè & Subjectivè. Illo modo nec lucem ante ſe habent, nec habere debent; iſto lucem præſupponunt; hoc in reſpectu ad certum ſubjectum dicuntur. Illæ prorſus nihil ſunt tum qvà formale tum qvà materiale. Iſtæ privatio ſeu abſentia luminis in corpore capaci, orta ex omnimoda corporis lucidi negatione; qvæ, ut cæteræ privationes, de materiali important rem poſitivam, de formali verò abſentiam poſitivi. Hæ deniq; ſunt reſpectu ſubjecti, ut qui cœcus eſt, vel claudit oculos, ei omnia tenebræ ſunt etiam in luce meridiana. *Vid. Conrad. Aſlac. Phyſ. Chriſt. ſpec. ad Verſ.* 2 *probl.* 3. Cœterum tenebras, de qvibus h. l. ſermo eſt, negativas omnino fuiſſe neceſſe eſt.

(2) על־פני Super vel extra exteriorem ſuperficiem. על præpoſitio (ab עלה aſcendit) propriè Super vel Supra ſignificat. Eſt & Contra, Coram, De, Propterea qvod, Ex. Interrogativum eſt juxta Tarnovium *Eſ. LIII*, 9. pro עַל־מָה vel לָמָּה, ſed juxta alios & qvidem ſimpliciùs eſt conjunctio adverſativa, Quanqvam. *conf.* 1. *Pet. II.* 22. Neq; enim hoc loco cauſa redditur, cur Judæi Chriſtum occiderint. Neq; ideò occiderunt eum, qvòd violentiam non fecerat. פנים (à פנה reſpexit) hoc loco conſtructam formam habet, deſignatq; non tantùm particulariter faciem, ſed & generaliter exteriorem cujusvis rei ſuperficiem, qvalem in materia rudi fuiſſe oportuit, cum qvanta omninò eſſet. Unde iterum de figura ejus certiores reddimur.

(3) תהום ἄβυσσος ſignificare ſolet aqvarum voraginem & locum, ſicut fluvius & aqvam labentem & alveum notat. Hoc loco autem ajunt Theologi ſignificari aqvas cum terra & reliqvis rebus mixtas. Atq; ita univerſa moles

les

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

les ſeu chaos totum erit תְּהוֹם, qvod convenienter redditur ἄβυσσος, hoc eſt, profunditas impenetrabilis, qvæ vox & propriè de aqvis dici ſolet. De inferno ergò nullus h. l. ſermo eſt, ſed de mole. unde qvod hìc dicitur פני תהום, pòſt dicitur פני המים, qvod aqvæ molem totam cinxiſſe & permeaſſe videantur.

ורוח אלהים LXX καὶ πνεῦμα Θεοῦ Vulg. *Et Spiritus Dei*] רוח (à רוח reſpiravit) ſignificare ſolet non tantùm ſubſtantiam incorpoream, ſed & corpoream ſubtilem, ut ventum. Sic ארבע רוחות qvatuor venti cardinales *Jer. XLIX. 36.* & metonymicè qvatuor mundi plagæ *Ez. XLII. 20.* Cum autem de incorporeis dicitur, ſolet exponi cùm de creatis, ut Angelis *Pſal. CIV. 4.* Anima hominis *Eccl. XII. 7.* tum de increato. Atq; hìc iterum ſolet eſſe nomen vel eſſentiale vel perſonale, uti hìc qvidem exponunt Theologi. Atq; ita Hieroſol. *Spiritus miſericordiarum à facie Domini.* Et verè, cùm ventus creatus tum non eſſet, nec ullus ſpiritus creatus cauſa efficiens creationis eſſe poſſit. Exponunt qvidam de vento, ut רוח אלהים ſit ventus maximus, eximius & illuſtris. Certum eſt ejusmodi conſtructionem ſæpiùs occurrere in aliis vocibus ſicut נפתולי אלהים *Gen. XXX, 8.* ארזי אל *Pſal. LXXX. 11.* תרדמת יהוה *1. Sam. XXVI. 12.* Sed de voce רוח negat tale qvid obſervatum eſſe Auguſtinus. Et obſtat, qvod dictum eſt de efficiente cauſa creationis.

מרחפת על פני המים, LXX ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος Vulg. *ferebatur ſuper aqvas*] (1) מרחפת eſt participium Piel, compenſante aſperitate literæ ח defectũ τοῦ dageſch characteriſtici. Radix eſt רחף, qvod verbum agitationem & motionem ſignificat diſertè *Jer. XXIII. 9.* Sic de aqvila *Deut. XXII. 11.* ירחף על גוזליו, hoc eſt, agitabit ſe, ut exponunt etiam celeberrimi Patriæ Theologi. Ita rectè ſeptuaginta & Vulgatus. Aliis incubitum etiam ſigni-

nifi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

nificat, qvæ ſignificatio è ſcriptura non poteſt probari. Qvid? qvod ſi incubitum notat, cur columbæ magis qvàm alterius avis? nam de columba loqvitur R. Salomon. Non tamen de motu qvodam locali intelligi poteſt h.l. Qvomodo enim de loco in locum movebitur, qvi omnia implet? potiùs operationem aliqvam Divinam notat, qva rudis illa & iners moles vegetabatur. Oſtendit & hoc verbum qvalis ſpiritus fuerit, nempe qvi rude Chaos animavit, is autem eſt ſpiritus increatus *Job. XXXIII* 4.

(2) מים aqva, duale tantùm, forſan qvia duplices ſunt aqvæ, ſuperiores ſeu ſupracœleſtes, qvæ ſupra expanſum ſidereum locantur, & inferiores. Jungitur tamen verbo ſingulari *Num. XI.* 38. יֻתַּן מַיִם qvod per diſtributionem intelligendum monet Ab. Èsra. In conſtructione eſt מֵי vel מֵימֵי, qvam formam habet cum affixis, niſi qvòd vocalem ſuffixi recipiat. Heic autem non ſignificat aqvas formatas ſed informes & rudes, adeoq; materiam potiùs aquarum, qvàm aqvas. In medio autem harum aqvarum factum eſſe expanſum infra dicitur. Non enim ſuperiores abierunt in nihilum (fruſtrà enim tum fuiſsènt factæ), ſed ſine dubio elaboratæ ſunt, ut reliqvum Chaos. Uſum harum qvi ignorant, non ideo ſtatim negare debet rem ipſam. Ita enim res plurimas, qvas oculis uſurpat qvotidiè, contra ſenſuum dictamen exiſtere omninò negaret, qvia earum uſum neſcit.

Adoranda potiùs eſt Divina potentia & ſapientia, cui ſoli gloria & majeſtas in æternum.

Corollaria.

1. *Generatio Iſaaci ex Abrahamo & Sara reſpectu tam patris qvam matris fuit miraculoſa, quanquam Abraham multos poſt annos ex Cetura genuit.*
2. *Conceptio ovium Labanis ad ſimilitudinem baculorum, qvos decorticaverat Iacob, naturaliter fieri potuit.*
3. *Magos Ægyptiacos præſtigias potius qvàm miracula perpetraſſe puto.*

VIRO JUVENI PRÆSTANTISSIMO

DN. CASPARO AHNE-MULLERO

Primitias ſuorum ſtudiorum mira ingenii fertilitate promenti

ita gratulatur

Joh: And: Bernhovius.

NAturâ licuit qvantum cognoſcere, Naſo
Orbis terrarum ſemina prima dedit.
Acrius inventis qværis formamqve modumqve
Fontibus ex ipſis, lege docente ſacrâ.
Hiſce tuis ſpondes patriæ te multa daturum,
Commoda, ſic Domino plura talenta refers.
Tu modò qvô greſſu cœpiſti vadito, luſtra
Virtutiq; tuæ plurima fata dabunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

Viro Juveni literatiſſimo

CASPARO AHNEMULLERO
amico ſuo integerrimo.

SYdera, Terra, Dies oculis patuere, videndum
Unde trahant ortum Sydera, Terra, Dies.
Non Atomi, non Ignis erat, non Flamina ſeptem,
Non gemina gemini mente fuere Dii.
Sed rude, ſed deforme Nihil *cunabula toti*
Ahnmullere ſolo prima dediſſe doces.
Ante mare & terras *Muſarum fluxit ab undis;*
Fontibus è ſacris profluit hicce liqvor.

has ſtudiorum ſuorum primitias
ita gratulatur
Chriſtianus Nicolai Coccius.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00792 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 792